






5561

CIMELIA

2. IV. 88 e?
+

H
Caro
Rom

Hist. B. 401.
Carolus V.

Romanorum Imperator.

Armerii Moryii: De Gallea et Tuneta ex
pugnato, deque rebus ab Innotis. Carolo V.
Romanorum Imperatore in Africa feliciter
gestis Epistolae (1535).

~~XLII. 15.~~

5561

ALOYSII ARME

RII, DE GOLLETA ET TVNETO EX-
pugnato, Deq; rebus ab Inuictissimo CARO,
LO.V. Romanorum Imperatore in Af-
frica feliciter gestis, Epistola.

G. Logus. Syl.

Imperium dudum Turcæ, Romanaq; regna
Egere ad solem (proh pudor) occiduum.
Quum nouus exoriens, fatali numine Phœbus
CAROLVS effulsit cardine ab occiduo.
Iusticia & pietate ingens & fortibus armis,
Et debellato mitis in hoste pater.
Afflicto Imperio, extremos qui fortiter Indos
Reddit, inexhaustas quiq; orientis opes.
Hic quoq; nunc Libyam, celsæ Carthaginis oras,
Fœlici ingressus per freta longa pede.
Hinc terra, pelago inde potens mirantibus undis,
Qua uenit, uidit, uicit, & ille die.
Imperio dudum nomen remanebat inane,
Imperium hic orbis nomine, req; geret.

Cim. Qu. 5561

SPECTABILI ET ORNATISS. D.
 GEORGIO Loxano Inuictissimi FER/
 DINANDI Romanorū ac Hungariæ
 Bohemiæq; regis Cōsiliario & Pro/
 cācellario, Aloysius Armerius
 S. P. D.



Vanta mihi & q̄ gratā tecum fuerit. consuetudo
 mi Loxane, dum Augustę in illo celebratissimo
 conuentu Cęsarıs, ac totius Germanię simul esse.
 mus, vel ex hoc cōjicere poteris, quod inter arma
 & tot belli Affricani tumultus, non solū tui obli
 uisci non possum, sed etiam te conueniendi vehementi afficior
 desiderio. Quod quia & temporum ratio, & interualla locorum
 ingentiā non permittunt, vt pręsens pręstare queam, absens per
 literas, quę vices pręsentis pręstabūt, omnino facere decreui. Et
 pręsertim his temporibus quibus CAESarea Maiestas apertū
 bellum, & expeditionem nullo vnq̄ tempore reticendam, contra
 hostes Christiani nominis suscepit, scđq; in Affricam ingenti nu
 mero classis, & maioribus copijs ad augēdam Christi religiōē
 transtulit. Non te latet mi Loxane quo animo Cęsar semper in
 Christianam rempub. fuerit, & quantopere desiderauerit, non
 solum obuiam ire infidelium furori, sed etiam Christi nomen
 vbicq; locorum celebre reddere: quod Deo Opt. Max. fauente,
 ita iam suis auspicijs duces pręstiterunt, vt non solū orbi nostro,
 sed etiam ad Antipodas, & ignotas aliquādo nostris regionibus
 nationes, & pertulerint, & continuo ita perferre non cessant, vt
 breui fore speremus, quod spiritus sanctus per os Davidis dixerit
 In omnem terrarum orbem Christianę religiōis nomen ema
 natum, nostrocq; Cęsare superstitite quod Christus dixit, Vnum
 ouile, atq; vnum pastorem Christi vicariū humani generis fu
 turum. Satisq; constat suam Mai. id semper cogitasse, q̄ & qui
 etem inter Christianos pareret, & non solum nouas hereses re
 cens exortas sedaret, sed etiam Mahumetanum dogma penitus
 deleret: audaciamq; Turcę comprimeret, qui Christianorum dis
 scordijs adeo creuerat, vt non contentus occupatis olim sedibus
 totq; Christianorum regionibus, pulsus, inde vi & armis legitis

*Cæsarea expedi
 tio in Affricam*

Laus Cęsarıs.

ps. 18.

Jo. 10.

Turce audacia.

mis possessoribus, non sine magno Christianę Reip. detrimento;
quisquis Christi nomen coleret, infestis armis opprimere cona-
retur, iugumq; Mahumetanę sectę, vniuersę Christianitati im-
ponere; hinc Hungariam deleisse, & bis in Germaniam impetum
fecisse, ac pleraq; igne, & ferro deuastasse, omnia puaſtaturus,
niſi Ceſar prohibuiſſet non ſatis exiſtimans, piratas & latrones
Affricam deuastantes, & infestum mare nauigantibus reddētes
eo vsq; ſollicitare nō deſtitit, donec ex latronibus Duces, & claſ-
ſis, & copiarum conſtitueret, & pecunijs adiutos, ad Tunetum
& regnum totius Affricę occupandum transmitteret: ratus hac
potiſſimum via ſœliciter rebus ſuccedentibus nō ſolum Italiā,
ſed Galliam etiā Hiſpaniaſq; facile peruaſtaturum, imperijq;
ſines late promoturum. Itaq; comparata claſſe octuaginta qua-
tuor nauigiorum citra biremes & triremes, eadēq; & militibus
& ſocijs naualibus, & non contemnenda pecuniarū ſumma in-
ſtructa, duce Barbaroſſo latronum, ac piratarum principe, ad oc-
cupandam ciuitatem Tuneti, quam fraterne regum diſcordię in
duas partes diuiſerant, miſit: deditq; in mandatis vt in tranſitu
regni Neapolitani littora deuastaret; nec fortuna votis deſuit,
nactus incuſtodita regni littora, multis abductis mortalibus, nō
mediocre damnum regno Neapolitano intulit. Et mox Tunetū
adnauigans ciuitatem in Affrica poſitam, quindecim milibus paſ-
ſuum a ruinis antiquę Carthaginis diſtanti, deluſis Tunetanis
quibus perſuaſerat fratrem ſe Regis aduexiſſe, regnum Tuneti
nomine Turcę, adiuuantibus, qui partes regis ſequebantur, ex-
pulſo Rege qui regno potiebatur, occupauit. Quod vbi Ceſar
intellexit quantumq; inde damni Chriſtianę Reipub. euenire
poſſit ſi Barbaroſſum in Affrica regnare permetteret diligēter
cogitaſſet, ſtatuſit Chriſtianis Principibus periculum indicare, vt
communibus armis hoſti obuiam irent: & non ſolum Barbaroſ-
ſum ē regno Tuneti depellerent, ſed etiā cōtra Turcam bellum
ſuſciperent, ciuitatemq; Hieroſolymitanā, in qua Chriſtus ſe pro
nobis uictimam obtulit, ē manibus Turcarum eriperēt. Sed cum
preter paucos, alios rem Chriſtianam intelligeret negligere, non
nullos etiā Turcas atq; id genus Chriſtiani nominis hoſtes &
conſilio & armis iuuare, decreuit ipſe tam præclaram & Deo
gratam expeditionem ſuſcipere, præſensq; rebus omnibus inter,

Turce expeditio

*Barbaroſſus
quis.*

Tunetum.

*Tuneti Barba-
roſſus occupat*

*Ceſaris conſi-
lium.*

Classis et exercitus
cōscribitur.

Barbarossus
Turce.

esse. Itaq; per hyemem nō solum Genue, sed in Sicilia etiā Neapoli, apud Cantabros, atq; in alijs locis iussit classis apparatus fieri. Et nōdum hyeme peracta, milites in Germania, Italia, atq; Hispanijs conscribere, aliosq; Genue, nōnullos Neapoli, atq; Sicilia, multos Barchinone, atq; in circumuicinis locis naues conscribere, vt q̄ primum in Aphricam traiceret. Dum hec à Cæ. MA. geruntur, Barbarossus à nonnullis qui se Christianos profitentur certior factus, de apparatu & classis & copiarum, quas Cæsar ad traiciendum in Aphricā parabat, discordesq; Christianorum mentes, & nonnullos Principes, qui se propterea, quod Christi nomē gerant Christianos appellant secum recensens, vana omnia, & ad incutiendū sibi metum conficta putabat. Quippe neq; Cæsarem id negotij solum suscepturum existimabat, & nonnullos principes Christianos, qui Cæsaris nomen & potentiam perhorrescunt, cœptis obuiam ituros arbitrabantur, neq; quod recte constitutum erat facere permissuros, veritos scilicet ne eō potētia Cæsaris augeret, vt multis formidabilis esset. Quapropter non solum huiusmodi apparatus negligebat, sed adeo vanū existimabat, vt regi Turcarū bellū cū Sophonis & Persis in Mesopotamia gerenti scriberet, si quem apparatū Cæsaris ab Christianis vel per literas, vel per nuntios intelligeret, conficta & vana omnia atq; ad impediendam expeditionem, quam contra Sophonos susceperat, existimaret; nam se pro certo nosse omnia vana esse, & si etiā aliquid paratum erit, id adeo exiguum fore, vt satis superq; esset, ad repellendū hostem; quod ipse virum haberet; atq; eo vsq; in eadem opinione persistit, neq; qcq; quod aut ad muniendam Tuneti ciuitatem, aut classe. n. reficiendam pertineret egit, donec triremes due ex Massilia soluentes ad eum quosdā rebelles Cæsa. MA. ex Sicilia & regno Neapolitano simul cum quodā Gallo domino de Foresta die. xxiiij. Aprilis pduxerunt, ex qbus quæ Cæsar parauerat cognouit, pro certo intelligit, quod omnino in Affricam traicere decreuerat, qua re adeo cōsternatus fuit, vt de fuga cogitauerit, sed quia classem, qua cum copias à Turca creditas posset Constantinopolim reducere, vix tribus mensibus reficere poterat, conuersus est ad ciuitatem Tuneti, castellumq; Golletę muniendum, reliquosq; piratas qui ad Christianorū diuersa loca infestāda perrexerant,

erocandos, quo communibus armis, communem piratarum ac
 latronum ciuitatem à Cesareo exercitu defenderet: neq; id satis
 exultimās, ex omnibus castellis atq; oppidis, quę suę ditioni sub
 iecta habebat milites Tunicum ad se venire iussit, belli fortunā
 qualemcunq; fors tulisset tentaturus, & ne in aliquo sibi deesset
 ad auxilia ex Constantinopoli accersenda etiā misit, sed id irritū
 atq; inane fuit, quoniā & si non multos trirēmū alueos in naua
 libus vetustate collapsos haberent, tamen vix aliquot reficiēdos
 curarunt, deductosq; neq; socijs naualibus, neq; remige, neq;
 milite qui non aderat, complere potuerunt, coactiq; sunt erga
 stula soluere, & remiges trirētib; imponere, vixq; septem tri
 remes conferunt, quas cum & propter vetustatem alueorum
 & propter imperitiā sociorum naualium, inutiles ad longam
 nauigationē satis perspexissent, domi retinuerunt, Barbarosq;
 auxilium vel inuiti denegarunt. **IN**terea **CÆSAR** om
 nibus recte administratis, militibusq; non solum in Hispania,
 sed etiā qui in Italia diuersis erant in locis in naues impositis
 preparatisq; quibus opus erat ad exercitum in Africam trans
 mittendum, ipse. xxx. Maij sacris optimi Christiani prius rite p
 actis Barchinonę trirēmim conscendit, prouectusq; cum paucis
 trirētib; mille passus in altum, donec onerarię naues, que re
 mis agi non poterant, vela expedirent, ceteręq; trirēmes, & reli
 qua classis nauigia tanto itineri se aptarent, stans in anchoris to
 tum sequentem cōsumpsit diem. Postridie eius diei orto sole sub
 latis anchoris cum trirētib; enauigare cōcepit, sed statim non
 solum ventus, qui secundus erat, flare destitit, sed in contrarium
 etiam versus est: quapropter coactus fuit ceteras naues in alto re
 linquere: ipse vero cum trirētib; solis, vix ad maiorem ex Ba
 learibus fortiter eremigās, cursum tenuit: ciuitatesq; Insulę donec
 reliqua classis ad eum appelleret, nonnullas adiuit, inq; eo nego
 cio pauculis diebus consumptis ad portum Mahonis, qui in ea
 dem insula est, contendit, quo loci etiā eadem die naues onerarię
 reliquaq; classis nauigia, quę aliquantulum in mari tempestate
 iactata fuerāt, illesa peruenerunt: eademq; die **CÆsar** eo loci
 moratus, postero die ex portu vento adeo remisso cum tota clas
 se recessit, vt in prospectu Insulę vsq; ad noctem semper manser
 it, sed noctu ventus inualuit. Itaq; **CÆsar** totam illā noctem

Barbaros
 exercitus.

Cesar in Affricā
 transiecit.

Contrarius ve
 tus Cesar.

Portus Maho
 nis.

Golfus locus.

**Calerum Cesar
peruenit.**

**Summa classis
Ces.**

**Cesar Tunetum
profectus.**

cum posteriori die enauigans, vix tertia die cum triremibus solis ad Golfum peruenit, locus hic in insula sancti Petri non longe à Sardinia posita. Et quoniam reliqua pars classis propter tempestatem eo loci cursum non tenuerat, sed in mari diutius conflictata permanerat, Cesar expectandum ratus, eo loci cum triremibus in anchoris mansit, arbitratus etiam classem reliquam eo venturam. Sed cum id minus succederet existimans reliquam partem classis beneficio venti usam preteruexisse insulam sancti Petri, atque in Sardiniam enauigasse, soluit ex insula, & cum ea parte classis, quæ cum eo erat die. x. Iunii ad Calerum ciuitatem, Sardinie Regiam sedem peruenit, quo loci non solum nauigia, quæ cum illo ex Barchinone soluerat, in anchoris inuenit: sed etiam quæ Marthio Vasti à Genua Neapoli, atque Sicilia cum Germanis, Hispanis atque Italicis militibus cum ingenti comœatu machinisque, ceterisque huiusmodi, quæ bello vsui sunt, ante sex dies traduxerat, inque eo numero CAE. MA. sex triremes Pontificis, & quatuor Hierosolymitanorum militum comperit, classemque recensens, summam quadringentorum nauigiorum inuenit, septuaginta scilicet triremes. xxx. intra biremes celoces, & exploratoria nauigia: onerarias vero naues, inter quas plerasque maxime capacitatis, galeonesque & Lusitanorum carauellas, reliquaque huiusmodi quæ ex Cantabria venerant, tertia erant, bombardis reliquoque machinarum genere, socijs navalibus, militibusque optime instructa. Quibus peractis Cesar ad ciuitatem inuisendam in terram descendit, honorificeque & cum summo incolarum gaudio, velut à suæ iurisdictionis hominibus exceptus à Caleritanis fuit, deque comœatu, & his quæ & classi, & militibus opus erat abunde, prouisum. Quod Cesarem non mediocriter affecit letitia. Itaque quæ omnia satis parata ad perficendum cerneret, intelligeretque à quibusdam captiuis Christianorum, qui proxime ex Tuneto profugerant, Barbarossum omnes triremes ad Tunetum, & vicina loca reduxisse, ciuitatemque Tuneti, & Golete castellum, quod in faucibus lacus est, cui Tunetum adiacet, munire, presidioque militum firmare: nequa diuturnior mora noceret, cum omnibus classis nauigijs, Deo Opt. Max. fauente, quem votis tam preclaris, & Christiane reip. summoque necessarijs non defuturum spero, ex Caleritano portu die. xiiij. Iunii soluit, rectaque ad Tunetum profectus est, ventoque prospero vsus ante lucem po-

fterodie cum maiore parte triremiū nauiumq; ad portū Vtice, Partus farine
apud Vticam.
 qui nunc portus farine dicitur in Aphrica positus cursum tenuit,
 it, relique vero triremes, que tardius aliquantulum cum onera-
 rijs nauigauerunt eo loci cum reliquis exercitus copijs paulo
 post applicuerunt, eademq; die Cēsar cum tota classe ad locum,
 quem Sarraceni Goephe Tuneti dicunt, transiuit: iussitq; non
 nullas triremes, atque biremes propius Goleta accedere, quo &
 castelli munitiones inspicerent, & locum explorarent, vbi pe-
 dites simul cum equitibus in terram tuto exponerent. Itaq; trire-
 mes tam prope Golletam accesserunt, vt pile ex bombardis emis-
 se ab ijs, qui in presidio Gollete erant, ad triremes pertingerent,
 sine vlllo tamē nostrorum periculo, nostriq; eodem modo iactu
 bombardarum hostium castellum impeterent. Postero die Cē-
 sar locis bene expioratis, milites in terram descendere iussit, itaq;
 primi Germani expositi sunt, hos Hispani secuti, deinde Italicisq;
 miles. Postremo CAE. MA. multis comitata Principibus, do-
 musq; sue nobilioribus aulicis: statimq; ad expugnandam quā-
 dam turrim, que aquis preest, & est in littore maris non longe à
 castello Gollete distans, ab ea parte que Occidentem respicit po-
 sita, & turris aque ab incolis recentioribus appellatur, milites mi-
 sit, nec fortuna cceptis defuit, nam & turris illa virtute militum
 primo impetu capta est, & nonnulli vici, opidulaq; in vestigijs
 antique Carthaginis posita, eadē die à nostris recepta fuerunt.
 CAE. sar vero eo loci quo in terram descenderat castra posuit,
 & qua parte castra littus attingebant triremibus, reliquisq; nauī-
 gijs circumdedit. Sub idem tempus Sarraceni quidam cū Ture-
 ics capti fuerunt, ex quibus cognitum est, castellum q; Golletam
 vocant & munitionibus & bombardis, & presidio militum, ce-
 terarumq; rerum ad quamuis tollerandam oppugnationem ita
 Barbarossum munisse, ut vix expugnari queat. Quod vbi Cē-
 sar intellexit, ratus id sine maximo suorum periculo à tergo relin-
 quere non posse: quoniam illo Tunetum oppugnante tam mu-
 nitum castellum non solum molestias classi adferre poterat, sed
 etiam ne commeatus ad castra nisi cum maxima difficultate per-
 uenirent, impedire. Ad hec magni interesse putabat, si antequam
 Tunetum aggredieretur, Goleta potiretur: quippe castello in po-
 testatem redacto, alueos omnes biremium triremiūq;, qui in la-

Goephe.

Goleta obsidet

Ordo exercitus

Turris aque
expugnatur.

Ruine Cartha-
ginis.

Goleta obsidet cu, & circa Golletam erant, in sua potestate fore certissime existimabat. Itaque nostri vineas, cuniculosque, ceteraque que ad oppugnationem necessaria putabant, facere coeperunt: & quo minus eruptiones timerent, dum nostri, que ad oppugnationem pertinebant, in opere occupati essent, aggerem satis munitum, bombardisque instructum castello Golletto opposuerunt, cohortemque militum prefecto Comite de Sarno munitionibus ab eruptione hostium tuendis prefecerunt: quod ubi hostes qui in presidio Gollete erant conspexerunt, existimantes, si machinis & bombardis, que in aggere tam vicino continebantur, potirentur, perpetuam sibi securitatem parituros, eruptione cum hostibus pugnandum statuerunt. Itaque ex improviso cum non spernendo numero equitum, peditumque eruperunt, protinusque ad munitiones aggeris accesserunt, ut conati erumperent: sed nostri qui munitionibus preerant, acriter pugnares, non solum hostes a munitionibus reiecerunt, sed indignantes tantum obsessis animorum esse, repulso persecuti sunt. Id qui in castello erant conspicati, plures suis subsidio miserunt, animosque fugientium ita erexerunt, ut non solum fugam sisterent, sed recentis subsidio confisi, nostros iam defatigatos, quos numero militum valde superabant, terga dare cogerent, fugientesque persecuti simul cum ipsis intra munitiones irruerent. Nec mora, Hispanorum accurrit legio, hostesque loco pellit, & ad castellum retrocedere cogit. In illa pugna ex nostris centum desiderati sunt, inter quos Comes ipse Sarni, pluresque vulnerati, ex quibus Turcica ictus lancea quidam ex Sarni Comitis consanguineus: hostes vero ducenti ceciderunt, inter quos ut postea a captivis cognitum est, aliqui non contemnende apud suos autoritatis viri, & centum & quinque ginta ex hostibus capti sunt. Sed hac clade minime perterriti, die xxiiij. Iunii, denuo ex castello maiori impetu prosilientes, aggeris munitiones adorti sunt, despicientes forsitan nostrorum paucitatem, qui munitionibus preerat, arbitrabantur quippe, interfectis qui ex nostris in statione erant: facile & munitionibus & bombardis posse potiri. Sed longe aliter res cessit, nostrorum quippe virtute & agger optime defensum est, & ab eo cum magno detrimento hostes repulsi: ex quibus triginta ceciderunt, multoque plures capti & vulnerati fuerunt, ex nostris quatuor desiderati, & totidem vulnerati sunt. Et quoniam eadem die non solum hostes ex castello prosilientes

Comes de Sarno.

Eruptio facta.

Golletani retrocedunt.

Cesarianorum virtus.

in nostras munitiones impetū fecerant, sed nostris in alijs rebus occupatis, equites quidam peditesq; simul Barbarossi nonnullas bombardas inter Golletā & Tunetum, vt latera exercitus Cēsari infestarent posuerāt, postero die bombardis exercitū nostrū ita impetere cōperunt, vt pleriq; globi vsq; ad castra puenirēt: idq; hac de causā euenerat, q̄niam Cēsar leuioribus prelīs hostē laceffere prohibuerat; sed cū id milites sine summo dedecore non passuros arbitrarētur, vt iam vicinus hostiū equitatus sibi illuderet, statuit & equitatum Barbarossi loco pellere, & bombardas si quo modo posset, hostiū intercipere, erat quippe locus quo cōstituerant hostes & bombardas posuerant, densis arboribus cōsitus, pariterq; fructiferis, nam ficus, arbores oliuarū, ceterarūq; huiusmodi quę vicina Tuneto loca plurimas ferunt. Quapropt̄ Cēsar ad hostem ex loco fugandum leuis armaturę equites emisit, binasq; peditum legiones, quarū in altera Hispani milites erāt in altera Germani, hos Cēsar cum equitibus ad corporis sui custodiā deputatis, vnaq; Sclopetariorū legione sequebat̄. Quod vbi hostes conspexerunt, quorū equites erant mille, & peditum non cōtemnendus numerus, relictis bombardis protinus fugere cōperunt; quos nostri insecuti inter equites peditesq; quinq; ginta ceciderunt; reliqui fuga saluti consuluerunt; quos eo vsq; Cēs. Ma. secuta est, donec oculis ciuitatē Tuneti subiiceret, circumspiceretq;. In eo plio, ne dicam fuga, septē ex nostris sunt cēsi, Marchioq; ex familia Mendoza equitum leuis armaturę Præfectus grauiter vulneratus est, sed medici salutem pollicent̄. Eodem tempore Marchio de Alarcone ad exercitum venit, nonnullasq; triremes & naues secū duxit, & plerosq; ex Sicilia, ac Neapoli militares, insignesq; viros, qui vt tam preclare, ac necessarie Christianorum reip. expeditioni interessent, sponte & nō accersiti venerant, multeq; ex diuersis locis ad exercitum naues onerarie cū commeatu venerunt, inter quas magna illa naus, quam Cēsar Barchinonę Cōmendatori Rosę reliquerat cū ingenti bombardarū copia, rerumq; aliarū quę bello vsui solent esse. Dum hæc gerunt, tres equites Numidarum ad Cēsarem venerūt, binasq; literas attulerūt, quarū alteras Rex Tuneti à Barbarosso regnō & ciuitate spoliatus, alteras vero Proceres quidam regni, iudēq; regis consanguinei scripserant. Ex quibus Cēsar percepit, Regē

Hostes fugati.

Marchio de Alarcone.

Spōtanea auxilia Cēsari mittuntur.

Littere Regis et procerū Tuneti ad Cēsare.

Procereſq; ſummopere Maieſtatē ſuam conueniendi deſiderare
 polliceriq; quicqd in his opis eſſet, Barbaroſſum ē regno Tūne
 ti pellendū; rogareq; vt ad illos trīremes tranſmitteret, quibus cū
 ad Maieſtatē ſuam tuto nauigare poſſent. Qua re itelleſta Cē
 ſar letus, non tam quod auxilio Regis ad bellū conficiendum in
 digeret, qd' ipſe ſuis viribus Deo Opt. Max. fauente q̄ citiſſime
 ſperabat conficeret; q̄ quod exiſtimaret blandicijs & humanitate
 & Regem, & Procereſ omnes tempore procedente relicta im
 puriſſima Mahumeti religione, vere Chriſtianos efficere. Ita q;
 duos ex Numidis remiſit, qui Regi nuntiarent gratiſſimū Cē
 ſari fuiſſe Regis voluntatē intelligere, dicerentq; ſe & trīremes,
 & alia quibus opus eſſet ad eū tranſmiſſuros. Statimq; .xij. trī
 remes ad Regē deuehēdū miſit. Nec Rex diutius moratus eſt,
 ſed q̄ primū ad eum trīremes puenerunt, illas centū equitibus Nu
 midicis comitatus conſcendit, rectaq; ad caſtra Cēſaris, quę pro
 ppe Golletam erant: enauigauit. Dieq; .xxix. Iunij eo loci puenit;
 qppe parū interualli p̄terierat. Nā locus q̄ trīremes conſcenderant
 a caſtris Cēſaries mari nauigātibus per .x. miliaria Italica diſtat.
 Quod vbi Cēſar intellexit, claſſicū canere iuſſit, copiasq; in acie
 nō ſecus, ac ſi pugnandū eſſet, deducere, Regiq; vt honorifice re
 ciperet obuiā exire. Deſtinauerat etem tres Principes viros ad
 ſuſcipiendum hominē, Ducem ſcilicet de Alba. Marchionē de
 Alarcone. & Comtē Beneuentanū. Hi Regē ſatis honorifice
 exceperūt, atq; ad tabernaculū Cēſaris deduxerunt. Inuenerūtq;
 in tabernaculo, Regis Luſitanie fratre, multiſq; Principibus vi
 ris comitatū Regem Tūneti alacrit̄ expectantē. Quo viſo, atq;
 ad ſe deducto, manū porrexīt, & ad osculandū inuitauit, genasq;
 exoſculari permiſit. Deinde non ſolū Procereſ Principesq;, qui
 cū Rege Tūnetano venerāt, ſed etiā ipſe Rex more Sarraceno
 rū, ſedentē in ſella Cēſarem, humi proſtrati venerati ſunt. Hiſq;
 peractis, adhibito inter Cēſarem Regemq; inteip̄te, multa de cō
 munibus rebus inter ſe locuti ſunt. Dimiſſoq; à colloquio Rege
 ad exercitū videndum circūduci iuſſit. Quē ſclopetarij, vt magis
 honorifice exciperent, non ſemel ſed ſepius more ſuo accenſibili
 puluere intra ſclopetas incenſo ſonitu terribili ſclopetarū ſaluta
 runt. Miraturq; Rex inſuetā rem, & tam diuturnū ſine aliquā in
 terpolatione inſtar tonitru ſclopetarū ſonitum, Sed poſtq̄ ad bō

Cēſaris reſpō
 ſio.

Rex Tūneti ho
 norifice a Cēſa
 re excipitur.

ſclopetarij.

bardas puenit, coelū ruere, & terram dehiscere. arbitrabat, & pa-
 uens ac velut attonitus rerū nouitate, deducētes se circūspiciebat.
 perlustratoq; exercitu, & vills omnibus copijs, tabernaculo, q; ei
 Cesar p hospitio parauerat exceptus fuit. Et quoniā prohibente
 religione Mahumetana, quā Sarraceni supstitiosius q; Turce ob-
 seruant, neq; vinū bibere, neq; ex animalibus quē Sarraceni nō
 iugulassent, carnes edere voluit, aqua recens, multa q; alia cōdita
 saccharo ad bibendū, edendūq; per ministros appolita fuerunt.
 Dicuntur Regē sequi octingenti cameli, onusti rebus ad cibum
 ptinentibus, illumq; viginti milia Numidarum equitū exercitū
 habere in mediterraneis locis, qbus omnibus Numidicus est ha-
 bitus, armaturam nullam habent, quē corpus ab ictu protegit,
 vtuntur lanceis à. xxxvi. vsq; ad xl. palmas longis vtrinq; cuspi-
 dem habētibus, gladio incuruo quemadmodum & Turce, sed
 alterum collo suspensum habent, alterum vero femori alligatū.
 Ita Rege excepto, Cesar omnem animū in Golletē oppugnati-
 onē intenderat, cunctaq; per suos, quē ad id negotij ptinebant,
 q; diligentissime administrari iusserat; opera q; , atq; munitiones
 p̄sens inuisebat, vultuq; atq; alacritate, quā p̄ se ferebat, militē
 adeo exhilarabat, vt laborē in opere non sentiret: & q; letissimus
 sese omnibus periculis exponeret. Die. iij. Iulij conspicientes hos-
 tes indies inimicorū munitiones p̄pius ad muros accedere, sibi q;
 omnia arctiora fieri eruptionē fecerunt, & cū magno impetu ad
 munitiones nostrorū puenerunt: sed nostri non solum fortit̄ im-
 petū sustinuerunt, sed etiā à munitionibus reiectos, vsq; ad mu-
 ros p̄secuti sunt: parumq; absuit, quin hostibus inmixti, castellū
 non ingrederent: & omnium iudicio, si aut scalas secum tulissent,
 quoniā murus castelli à latere nullas munitiones habebat, qbus
 p̄hiberi poterat, ne murum conscenderent; aut si plures illis sub-
 sidio venissent, Golletani eo die capi potuisse in confesso fuit. Sed
 quū diutius ibidem morandum non iudicaret; retrocedere, & ad
 suos se recipere visum est: nec impune retrocesserunt, nam quos
 uicinos muris, neq; bombarde, neq; alia tela offendere poterant,
 retrocedentes ledere ceperunt, triginta q; ex nris interfecti sunt,
 plures vero vulnerati: sed ex hostibus duplo maior numerus ceci-
 dit. Et quoniā pro adinouendis muro bombardarū tormētis, ne-
 cesse erat apertos cuniculos facere, q; recentiores trinceas vocāt,

Sarracenorum
 superstitio et ar-
 maturæ.

Eruptio facta
 per hostes.

Trincee cunctas
 li quales.

Mare intumuit

Cesaris ad milites oratio.

Oppugnatur
Golleta.

(fossæ sunt, in obliquū ductæ uelut menandri qdam, quibus milites bombardas muris admoventes, ab hostiū tormētis reliquiscq; telis se tegunt) cœperūt opus longius q̄ par erat, à muris; quæ res effecit, vt tam cito muris bombardæ admoueri nō possent. Propterea q̄ in cuniculis faciendis plus temporis impensum erat, oppugnationē aliquantulū differre coacti sunt; & iam omnia parata erant, quū subito mare intumuit, nec naues, quas Cæsar admo- uere castello decreuerat, atq; ex his muros bombardis cōcutere, cōmode ad Golletam accedere poterant. Itaq; licet omnibus paratis, donec mare detumesceret expectandū decreuerunt. Die ve- ro. xiiij. Iulij ad noctē declinante die mare quieuit; ratusq; Cæsar, satis cōmode tam mari q̄ terra, postero die oppugnationē confici & castellum capi posse, processit ad munitiones inspiciendas, re- cteq; omnia administrata cernens, virtutē ac diligentia militum collaudās, dixit. Multa atq; egregia facinora, meis auspicijs, quæ nulla vnq; posteritas tacebit, absente me milites gessistis: nunc p- sens sum, Dux, Imperator, Cōmilito vester, nullum militiæ mu- nus detractans, & si inter primores necesse fuerit ad muros acce- dere, viq; in castellum irrūpere; Admonens meminerint gestorū virtutisq; & quæ se absente ducibus auspicijs suis res gerentibus prestiterunt; Cæsarem presentē, atq; intuentem omnia putarent, ignauos pariter, atq; strenuos, conspiciētē; sed strenuis premiū, ac militaria dona exhibentē, ignauis aut turpitudinis notā: naua- rent igit̄ operā egregie, tormentisq; muros quaterent, diruerētq; irent deniq; alacriter, ac pro fide acriter contra Christi nominis hostes pugnarent, totq; p̄liorum foeliciter gestorū, Regumq; ac Principum in his captorum pristinaq; virtutis, cui nullæ ar- ces, nulla vnq; ciuitatū munimenta restitissent memores, castellū Golletæ ē manibus latronū eriperent, existimarētq; eo capto cæ- tera omnia facilia futura. His dictis ad Andream Auria pergit, hortaturq; vt mane orto sole maiores naues, gollonesq; muris Golletæ admoueret, fortiterq; muros tormentis quateret. Diuise- rat Cæsar Hispanos, q̄s ex Italia deduxerat, Italosq; in duas aci- es; Hispanisq; ex vna parte ad concutiendos muros tormentorū xxiiij. curam demandauerat, totidemq; attribuerat Italis; vtriq; gnauiter operam p̄stiterunt, sed Hispani paruo tēpore, qua parte- steterant, magnā partem muri deiecerāt; nec diutius morati, acie-

instructa ad cōferendas cū hostibus cominus manus leti p̄cesse-
 runt. At qui in presidio Golletę erant, hinc à mari, hinc à terra,
 varijs malis se cōflicari cernentes, nudati presidio murorū, cor-
 pora p̄ muris apposuerunt: sed cū nostrorum impetū egre susti-
 nerent, viderentq̄ in alijs partibus etiam muros ictos bombardis
 funditus ruere, nec diutius posse resistere, retrocesserunt, seseq̄ ex
 Golleta partim nauigijs, partim nando, ad Tunetū recipere co-
 nati sunt. Hispani Golletam ingressi multos tumultuantes cecis-
 derunt: alij dum lacu ad Tunetum ire pergunt, summersi mari
 perierunt. Quod vbi Itali animadueterunt, per ruinas quas His-
 pani fecerant, ipsi quoq̄ Golletam ingrediunt: iamq̄ ad predam
 miles uelut in vacuo castello discurrebat, cum nautę socij q̄ naua
 les prede cupidi in triremes, biremesq̄ hostiū, quę in lacu erant,
 impetum fecerunt, omnibusq̄ armamentis nauigia spoliarunt.
 Sed prede cupidi, quod ad milites attineret, parum Golletę inue-
 tum, ceterum cōmeatus aliquantulum, quo refecti sunt: preterea
 sexcentę bombarde, preter sclopetas & alia minora tormenta: in-
 ter quas enee tercentę, quarū centum quinq̄ginta valde magnę.
 Interfecti sunt in ea oppugnatione octingenti hostes, ceteri ad
 Tunetū profugerunt: ex nostris sexaginta desiderati, capti vero
 sunt in lacu Golletę, xxx. alui triremium, & xxxij. maiorū bire-
 miū, & xv. biremes minores, celocesq̄ & exploratoria nauigia
 plura: tantulo tam magni momenti victoria stetit. Letus tam fœ-
 lici successu Cęsar, existimans bene cōeptam expeditionē Deo
 Opt: Max: fauente exitum meliorem habiturā, Deo rite sacris p̄-
 solutis, hostibus immodica clade perculsis, nulla interposita mora
 instandum esse ratus, Primores ex suis ad consiliū vocat: atq̄ in
 eo de p̄fectione ad oppugnandam Tuneti ciuitatem agit: varię
 Principum erant sententię: nam alij satis negotiū gestum existi-
 mabant, Golletam captā, classē penē totam Barbarossi in ma-
 nibus esse, fractas regis Turcarum uires, possessioneq̄ maris ho-
 minē priuatum arbitrabant, nec ita facile classē Barbarossū
 recuperaturum, vt amplius aut Hispanię, aut Gallię, aut Italię
 ptimescendus esset, temporeq̄ procedente, putabant cū modica
 classe hominē prohibere posse, ne piraticam exerceret, tutumq̄
 nauigantibus mare reddere. Preterea dicebant satis cōstare Bar-
 barossū ingentes copias, & nō spernendum exercitū pedītum,

Golletani singu-
 lantes retrocesse-
 runt.

Nauigia hostiū
 spoliata.

Consultatio Cę-
 saris.

Varię sententię
 primorum.

Contraria sen-
tientes.

Viginti milia
captiuorum Chri-
stianorum in Tu-
neto.

equitumq; confecisse; quo cum ad Tunetum oppugnanda, euntibus pugnandum erat, ad hec exercitum Cesareum aestiuo tempore & ingenti aestu Aphricam exurente, & intervallo loci à Gollera usq; ad Tunetum pertinente, in agro nimis siticuloso, & sine aquis, rebantur difficile, nec sine incommodo maximo militum, qui propter iumentorum necessitatem, & bombardas trahere, & cibaria secum deferre cogere, posse conducere: conductumq; si locum, quem castris nostri occupare destinauerant, Barbarossus occupasset, in arido solo sine aquatione diutius detinere. Postremo dicebant comestus auxiliaq; que Rex Tuneti promiserat, aduenisse nulla, quod indicium erat, alienati penitus à Rege Tunetano totius Aphricę puniti animi. Item quod si Barbarossus defessis aestu, fatigatisq; tam incommodo itinere nostris militibus copiam pugnandi fecisset, verebantur ne nostri facile hostibus integris & nullo labore defatigatis, ac tam in propinquo loco Tuneti, iniquo loco plium cõsuerent, detrimentumq; aliqd ab hostibus reciperent. Hisq; rationibus conabantur Cesari persuadere, ut rebus, quas feliciter gesserat contentus, Aphricam relinqueret, atq; in Hispaniam nauigaret. Alij vero penitus contraria sentiebant, percussisq; hostibus tam ingenti clade omnino instandum esse iudicabant, exercitumq; victorem postposita itinerum, aliarumq; rerum difficultate ad oppugnanda Tunetum ducendum; nec ullo modo virtuti militum diffidendum: Barbarossiq; Numidas & Sarracenos seminermem, atq; inexpertum pugnandi multitudinem nullo modo primescendam; quippe huiusmodi generis milites, viso hoste statim consuesse terga uertere: & effusos sine ullis ordinibus profugere. His Cesar assentiebatur, ratus non posse ex Aphrica sine summo dedecore, ac totius Christianę reip. puniti bello penitus non confecto discedere: arbitrabatur quippe recessum eius ex Aphrica, animum Barbarossum ita erecturum, ut id, quod reliquum erat in Aphrica facile subiugaret: Regemq; Tuneti, quem ipse Cesar sub tutela receperat, penitus perficeret, totaq; Aphrica depelleret: opeq; atq; auxilio regis Turcarum alueis triremium refectis, classem iterum qua cum Italia, atq; Hispanias puastaret, comparaturum. Ad hec Cesarem Principem Christianissimum plurimum angebat, quod iam pridem copertum habebat, viginti milia captiuos Christianorum esse in manibus Barbarossi, quos Deo: Opt. Max. fauente, si ad oppugnanda Tunetum processisset, Chri-

itiane libertati restituere posse sperabat. Quod non minus erat
 Christiane reip. utile, q̃ tanto Principe dignum. Itaq; omnino ad
 oppugnandam Tuneti ciuitatem, pficisci constituit. Dum hec
 geruntur ad Golleram, Barbarossus ob captum Gollete castellū
 ingenti clade percussus, sepiusq; pre dolore manu pectus cōtun-
 dens, exclamansq; fundamenta regni sui iam collapsa esse, vlti-
 mam statuit experiri fortunam. Itaq; ex gentiū colluione, que
 propter metum ex vicinis locis ad Tunetum confugerat, remigi-
 busq; ac locis naualibus, quos ab alueis trirēmum a Cesare in
 Gollete lacum interceptarum exemerat, Tunetanisq; ciuib; ce-
 terisq; quos ipse secum tum nationis Turcine, tum Sarracenonū
 habebat, exercitum, quo cum Cesari obuiam iret, parat; atq; ad
 hec Numidarū equitum. xviij milia conducit; manendumq; Tu-
 neti decernit, donec Cesar ex Gollete castello moueat. Interea
 Cesar omnibus ad profectiōem rite paratis, ratus tanta clade,
 hostibus pteritis mature instandum esse, iussis militibus quin-
 dierum cibaria deferre, puiscq; vt Andreas Auriās Prefectus
 classis, scaphis nauigionū per lacum Gollete, & aquam, & reli-
 qua que ad cōmeatum pertineret, ad exercitum perferret, ipse die
 xx. Iulij orto sole ex castris mouit, exercitumq; non secus ac si
 presentem, atq; in prospectu hostem haberet, Tunetum versus
 ducere cōpit. Diuiserat quippe in tres acies omnes copias; pri-
 mamq; Marchioni Vasti deducendam cōcesserat; quam in duo
 cornua diuiserat, aleuū Italicus miles, dextrū Hispanicus ex Ita-
 lia vterq; euocatus tenebat; sed eo modo inter se diuisi, vt bom-
 bardis, quas inter duo cornua posuerant, locus esset, Hispanos a
 tergo sequebant Germani. Italas uero omnes Cesaris aulici, qui-
 bus ipse Cesar preerat, & hec erat secunda acies. Tercia erat ex
 Hispanis, quos Cesar ex Hispanis secum deduxerat; inter quos
 duo milia equites, ceteri vero omnes erant pedites, hosq; in sub-
 sidijs locauerat, atq; his Ducem Albē prececerat. Impedimenta
 vero omnia ita locauerat, vt a leua lacum Gollete pro munimē-
 to, dextra vero omnes CAesareas copias eo modo quo superius
 est dictum, instructas haberet; idq; hac ratione administrauerat,
 vt q̃ tutissime incederent. Itaq; instructo exercitu lento gradu
 procedebat. Decreuerat quippe eadem die castra in quodam lo-
 co ponere, tria milia passus a Tuneto distantem, quo a peritis lo-

Barbarossus ex
 exercitum recol-
 ligit.

Cesar Tunetum
 versus castra
 mouit.

Ordo Cesaris
 in exercitu.

**Miles aque pu-
tem inuenit.**

**In ordinē mili-
tes rediguntur.**

Insidie hostiū.

**Barbarossus
Numidas iura-
mento in auxil-
ium adigit.**

**Barbarossus su-
os milites hor-
tatur.**

eorum intellexerat, satis commodam exercitui aquationem fore. Sed ubi aliquantulum processit in itinere, miles armis onustus, et estus ac caloris intēperie, quę Aphricę loca, & presertim esti-
uo tēpore vehementer infestat, torridisq; à sole arenis exustus, q̃ omnia etiā itineris labor, & defatigatio in deducendis bōbardis adauxerat, aque puteū inuenit, protinusq; ad puteū relictis ordi-
nibus, vt aqua sitim leuaret, accedit. Quod ubi Cęsar animadu-
erit quantumq; inde periculi eueniret, si hostis ex improviso dis-
sipatos, & in aqua haurienda procul à signis occupatos adoriret cogitasset, statim misit qui milites ab aqua p̃hiberent, & ad suos ordines signaq; reducerent, iterq; cceptum confici iuberent: quę res celeriter administrata nostris salutem peperit. Nam haud lon-
gius progressi hostem inter oliueta (q̃ genus arboris frequens in hac regione est) delitescentem conspicati sumus, putauimusq; anteambulares esse, & quos Barbarossus ad copias nostras ex-
plorandas miserat, nec sententiā nos fefellit. Barbarossus quippe intelligens per exploratores Cęsarem cū exercitū ad Tunetum venire, die. xviij. Iulij copias, quas in ciuitate Tuneti habebat, at-
q; vndequaq; collegerat: recensuerat, inueneratq; non contēnen-
dum exercitum: sed an omnes idem animi haberēt, vt pro domo-
laribus & Mahumeti impurissima heresi, quęcūq; fors tulisset, equo animo paterentur, incertus erat. Itaq; Numidas equites ad se vocat, iuramentoq; velut milites, quos pecuniā conduxerat, ad-
dgit, vt parato animo ad pugnam cum hostibus conferendam secum ciuitatem exirent: & quicūq; ex ciuibus, aut alijs, quos exercitū conscripserat idem facere nollent, armis, ac vi mandata exequi cogerent. Numidę omnia se facturos, & quocūq; duces-
ret ituros, iuramēto polliciti sunt: ac si qui essent etiam ex ciuibus qui munus militię detractarent, vt in officio manerēt, coacturos. Itaq; postero die Barbarossus congregatis omnibus copijs, quas tam diligenter conquisiuerat docet, Cęsarem ex Gollata prope-
diem cum exercitū moturum, rectaq; ad Tunetum venturum, nititurq; persuadere, ne vires & copias Cęsareas pertimescerent: multo plures in exercitū suo instructioresq;, & armis & alijs, q̃ ad pugnandum necessaria essent, quam in Cęsareo esse dicit. Preterea narrat multa incommoda, quę Cęsarianos in itinere tā com-
meatus, q̃ aquationis aliarumq; rerum pati necesse erat, tan-
demq;

demq̃ exponit fessos, ac defatigatos estu, ac itineris labore, sitiq̃
enectos cum recentibus, & sub muris penē ciuitatis pugnatu-
ros: se vero omnia, quę exercitui suo necessaria erant, satis abunde
prouidisse: cōmeatū locumq̃ castrorū ita expedisse, vt hostibus
nihil reliqui esset, nulloq̃ modo neq̃ aquationis, neq̃ pabulati-
onis facultatem haberent; hortaturq̃ vt bono animo sint, & cer-
tam sibi victoriam polliceantur. Ita q̃, quę ad custodiam arcis ci-
uitatisq̃ pertinerent, rite ordinatis, ipse die. xx. Iulij, q̃ primum dis-
luxit, copias extra ciuitatem educere cōpit, processitq̃ ad locum
quem Cēsar castris destinauerat, atq̃ eodem loci, quoniam & à
ciuitate non amplius q̃ tria milia passus distabat, & aquationē
satis commodam habebat, castra posuit, Cēsariq̃ prompto ad
pugnandum animo expectare exercitum constituit: erāt quippe
in exercitu Barbarossi equitum Numidarum. xvij. milia, quos
paucis ante diebus nō negligēda pecuniarum summa corruptos
à Rege Tunetano adduxerat; præterea Turcarum equites mille,
sclopetariorum vero. xv. milia, inter quos Turcę. x. milia nume-
rum explebant; ceteri vero Sarraceni erant, conducti pecunijs;
ad hæc centum & viginti milia hominū, partim ex ciuibus Tu-
netanis, partim ex vicinis locis tumultuarie collecta, ita, q̃ ampli-
us q̃ centum quinquaginta hominum milia in exercitu Barba-
rossi fuisse dicuntur. Quibus copijs confusus, aut exercitū nostrū
ab obsidione Tuneti prohibere posse sperabat; aut propter mul-
titudinem certam, si pugnaret, victoriā habere. Sed CAESAR
instructo vt supra dictum est, exercitu procedens, visis inter oli-
ueta anteaambulonibus, hostiumq̃ exploratoribus, existimans
hostem non procul cum omnibus copijs abesse, cōpit cauti-
us progredi; nec diutius in itinere moratus hostem conspiciit eo loci
quo ipse decreuerat castrametari, instructa acie pugnam prestos-
lantem. Qui cum Cēsarianos appropinquare vidit, positis ante
primam aciem. xij. bombardis parumper processit, nostrisq̃ co-
piam pugnandi fecit. Letus Cēsarianus miles pugnam non de-
tractat, res vtrinq̃ eminus prius bombardis agi cōcepta, & mox
nostri pedem intulerunt, propiusq̃ hostē cū sclopetis accesserūt,
idemq̃ hostes faciunt, & iam eo res deuenerat, vt cominus, &
prope cum hastis pugnaretur: quum vim, impetū, virtutem, atq̃

Barbarossus
castra posuit.

Exercitus Bar-
barossi.

**Hostes denuo
fugunt.**

**Consultatio
Barbarossi.**

**Christiani cap-
ptiui in arce li-
berati.**

agilitatem nostrorum sclopetariorum, quorum ictus more flu-
minis: vel instar venti continue cū ingenti impetu flantis, hostes
non ferentes, terga verterunt, relictis tribus bombardis cum ali-
quot militibus, quas nostri cēsis custodibus receperunt, ceteras
bōbaldas secū non ita effulse fugientes abduxerunt, moxq; con-
stituerunt, atq; iterū ad nostros conuersi aliquot globos ex bom-
bardis proiecerunt. Sed vbi viderunt nostros pedem inferre, de-
nūo terga verterunt, atq; eodem modo, quo prius fugere cōpe-
runt: quos nostri & itineris labore defatigati, & estu ac siti cō-
fecti, insidiasq; veriti psequi non sunt ausi. In prelīo q̄ paucissimi
vtrinq; ceciderunt, ex hostibus quippe trecenti desiderati sunt, ex
nostris octo tantū, qui p̄cede cupiditate ordines reliquerant. Bar-
barossus vero postq̄ se ē conspectu nostrorum vidit, collectis ex
fuga suis ad proximos montes, qui ab ea parte sunt, qua ori-
entem Tuneti ciuitas spectat, se recepit. Cēsar autē nactus idoneū
castris locum eodē loci quo hostis fugerat mansit, militesq; nō-
ctū ne quod à vicino hoste damni reciperēt, in armis excubare
iussit. At Barbarossus vbi nox aduenit, primores ad consiliū
vocat de ratione belli cum ijs acturus: propositisq; hinc atq; in-
de sententijs, tandem iterum fortunam pugne tentare decreuit.
Sed postq̄ illuxit, nonnulli, quos in p̄sidio Tunetane arcis re-
liquerat ad eum venerunt, arcemq; in potestatem captiuorū in-
terfectis pluribus ex his, qui in p̄sidio erant, deuenisse nūntia-
runt. Nam quidam ex his, qui in arce erant, & Christi fidem ad
Mahumeti heresim transiens denegauerat, postq̄ vidit Barba-
rossum prelīo victū, ad montes confugisse, venerat ad captiuos,
remq; suo ordine narrauerat, certioresq; fecerat, Barbarossū
decreuisse omnes captiuos Christianos, siquid grauius cōtigisset,
interficere, & p̄pterea vicina loca ergastulo accensibili puluere
bombardarum complexisse, vt igne id momento temporis confice-
ret: hortatusq; fuerat homines, vt effractis ergastulis, quęcūq;
sors arma dedisset fumerent, atq; in p̄sidium in arce relictum
impetum facerent. Quod captiui alacriter peregerant, pluresq;
ex ijs, qui arci p̄erant, interfecerant: reliqui fuga elapsi ad Bar-
barossū profugerant, ipsi vero portas arcis occluserant, vexil-
lisq; & fumo Cēsarianis signum dederāt, arcem in potestate sua

esse. Quod ubi Barbarossus intellexit, protinus cum parte copiarum ad arcem adcurrit, multisq; pollicitationibus captiuos oneratur, rogatq; ut arcem adaperiant, seque in eam admittant. Sed postquam nihil proficere vidit, captiuosq; arcem iam pro Cesare tenere precepit, veritus ne Cesar eum persequeretur, deploratis rebus suis fortunam incusans, iterum ad montes se recepit. Interea CAesar ex castris mouerat, ut copias ciuitati Tunetane admoueret, si gnacq; que ex arce dabantur conspicatus, Marchionem Vasti ad eam recipiendam cum parte copiarum misit: quem captiuus portis apertis alacriter in arcem introduxerunt. Cesar vero interim ad suburbium ciuitatis cum copiis accesserat, substiteratq; paru per consultaturus an Tunetum in predam militibus daret: clementissimus quippe vir hostibus etiam parcere cupiebat, sed virtus militum, totq; labores exhausti, operaq; non solum in expugnando Gollere castello prestita, sed etiam in profligando Barbarosso nauata, id facere non permittebat. Itaq; ut & contumaces ac rebelles puniret, simulq; militum labori satisfaceret, Tunetum predam militum esse voluit: sed antequam quicquam faceret, placuit Regem Tuneti aduocare, interrogareq; an quenquam haberet in ciuitate, quem conseruari cuperet: promittens Cesar curaturum se ut quoscunq; vellet conseruarentur. Ad hec Tuneti Rex respondit se neminem habere, qui conseruandus esset: rogauitq; Cesarem, ut omnes interfici iuberet. Itaq; die. xxi. Iulij miles ingressus ciuitatem ad predam discurret: multa q; alia, que in capta vrbe solent fieri, perpetrat: biduoq; penes toto per ciuitatem discurrens predam egit. Ex Tunetanis multi cessi sunt plures capti, tandem die. xxiij. Iulij miles ex Tuneto preda onustus exire iussus est: sed minor preda, quam ex tanta ciuitate milites animo conceperant, extitit. Nam ex captiuorum venditione plus prede fuit, quam ex alijs omnibus rebus. Et in arce quecunq; de thesauris Barbarossi post tot impensas in apparatus belli, militibusq; tam Numidis quam alijs conducendis factas superfuerat, id totum, fama est, & in manus Christianorum, qui se ex captiuis effractis ergastulis in libertatem vindicauerant ante aduentum nostrorum peruenisse. Licet Marchio Vasti ut quidam dicunt. xxv. ut alij vero. xl. milia aureorum, quod primus arcem ingressus fuerit, pro par-

Aut in potestate captiuorum.

Marchio vasti ad Tunetum recipiendam missus.

Tunetum preda militum.

Thesaurus Barbarossi captiuis cessit.

Barbarossus
Hipponē pro-
fugit.

Hipponis op-
pidum.

Andreas Auria
Hipponem mis-
sus.

Cesaris erga
Regem Tuneti
liberalitas.

Lacus Gollete
descriptio.

te sua dicatur habuisse. Commeatus uero, aliarumque rerum que bello vsui futura Barbarossus, & diutine obsidionis tollerande causa in arce cōgesserat, abūde repertū est, quod Cēsār cōseruare voluit. Dum hec geruntur, quidam ex transfugis ad Cēsarem venerunt, nūctiaruntque Barbarossū ad Syrtim paruam, quā nūc Cerbas vocant, profugisse, sed vt postea compertum est, eodem nō profugerat, sed ad Hipponem quā nunc Sonam dicūt, se cum quinque milibus ex suis contulerat (distat enim Hipponis oppidū a Tuneto centū & triginta milia passus). In itinere quippe eadem fide qua Regem deseruerant amiciciam Barbarossi Numide secuti, postquā afflictas hominis res, & retro omnia labi viderunt, nō solum ab eo descuerant, sed etiā postremū agmē adorti, plures ex ijs qui Barbarossū sequebantur, interfecerāt: multiq; estu, siti, & labore itineris perierant: pluresq; fuga ad vi- cos proximos delapsi profugerant. Cēsār autē Andreas Auria ad Hipponem recipiendam cum parte classis, copiarūq; misso, animum ad regni Tunetani res ordinandas conuertit. Itaque Rege Tuneti ad se vocato, exemplum rare libertatis, nullaq; vnq; temporū obliuione delēdum, vereq; sublimitate Cēsarea dignū edidit, Tunetūq; restituit atq; in Regni possessionem induxit: & quo magis hominem ab hostibus muniret, arcem Tunetane ciuitatis, Golleteq; castellum proprio milite munīuit, vectigalq; regem decem milia aureorum annua pendere iussit, quatuorq; equos, decemq; accipitres, qui vulgo falcones dicūtur. Sed Rex qui si vitam projiceret, vix minimam partem beneficiorum a CAEsarea MA. in se collatorum equare posse arbitrabatur, vectigalia quotquot sunt, tā in Tuneto q̄ vicinis locis Cēsaris esse voluit, subsidio presidij militū, qui Gollete, atq; in arce Tunetana relinquuntur futura. CAETERUM mi Loxanē ne quid te lateat, quoniam sepius de Golleta, & Tuneto mentionem feci, antequam ad finem veniam, visum est non solum arcem, sed etiā lacum Gollete, ceteraq; adiacentia simul cum Tuneti ciuitate describere. Lacus igitur est quo mare succedit longius, faucesq; satis angustas habet, vtpote per quas vix trēmum al- uel sine remis ingredi possint, nec maiora nauigia admittit, & licet tam angustis faucibus mare succedat, tandem postea se latius

sine pandit, ambitumq; lacus efficit amplius q̄ quadraginta mi-
 lia passus, leuocq; latere ingredientibus q̄ orientem aspicit, angu-
 stam habet penes littus lacus & arenosam viam, Cetera mons à
 Septentrione in meridiem porrectus, natia arbore consitus atq;
 in maiori parte asper obtinet. Dextra vero lacus pars planiciem
 habet, ficus arbore, oliuetis, citrijq; atq; alijs huiusmodi generis
 arboribus consita, pulcherrimum cernentibus exhibet aspectū,
 q̄ lacus est in medio, valde limosum est, ceterum quo magis ab
 vtraq; parte littori appropinquat, eo plus arene minusq; altitu-
 dinis habet, totusq; lacus vadari posset, ni limus qui in medio
 est, homines id conantes facere impediret. Augetur hic minu-
 turq; pro vt mare ad littus Aphricanum accedit, vel ab illo rece-
 dit, ac plerumq; estu maris, & tempestatibus ita fauces lacus ob-
 turantur, vt necesse sit, quo nauigia possit admittere, illas egerere
 Fauces duo cornua habet, alterum ab ea parte, qua orientem re-
 spicit, alterū qua occidentem, vtrūq; planum, atq; arenosum, sed
 multo magis in longitudinē q̄ latitudinem porrecta. Nam à lacu
 vsq; ad illud mare, quod sinum Tuneti vocant, vtriusq; cornu
 latitudo est, quod vix quinquaginta passus habet: in cornu quod
 orientem respicit, domus quasdam habet, quę mercimonia mer-
 catorum solent recipere. In eo vero quod ad occidentem est, ca-
 stellū est, quod Gollētā vocant, faucibus lacus appositū, quod
 Barbarossus, & operibus & bombardis, & satis valido p̄sidio,
 vt superius dictum est muniuerat, ab faucibus ad Tunetum re-
 cta nauigantibus à septentrione scilicet in meridiē nouē millia pas-
 sus sunt. Sed Tunetum aliquantulum à littore lacus recedit, in
 ipso vero littore nauale est xiiij. triremiū capax, & quedā etiam
 domus ad recipiēdas merces apte: ipsa vero ciuitas partim in col-
 le est, & partim in plano ab ortu Solis in occidentem porrecta.
 Quaq; parte orientem spectat, ex eadem etiā arcē tenet in plano
 totam positam, atq; à ceteris ciuitatis munitiōibus muro quodā
 diuisum, eodemq; loci suburbium habet (rebatum incolę vocāt)
 q̄ à Christianis incolebatur ab occidente: partim in plano est,
 & partim in colle leuiter accliuū. Habet ab ea parte suburbium
 quoddam angustū aliquantulū, sed in longitudinem valde por-
 rectum, Quod vero muri ad septentrionem vergit, totum est in

planticies arbo-
 ribus consita.

Sinus Tuneti.

Gollete castellū

Nauale.

Tunetum.

Rebatum sub
 urbium Christiano-
 rum.

Ambitus Tune-
 ti.

Ad rem redit.

*Nunc de casu
pto Hippone.*

*Caccidiabolus
Dux Barb. Ar.
maris missus.*

*Hippone Ces.
sariani potiti.*

*Aurie consilii
de Arcerio.*

plano, sed quo magis ad meridiem procedit, eo magis attollitur, donec ad summum collis ascendat, in quo muros meridiem spectantes habet. Ambitus totius ciuitatis est nouem milia passus: sed pro tanta amplitudine frequentiam incolarum non habet. Sed iam tempus est, vt vnde digressus sum redeam. CAESAR, post inductum in possessionem regni Tunetani Regem, nuntios ab Andrea Auria, quem, vt superius dixi, ad Hypponem recipiendam miserat, de capto oppido, & re bene gesta recepit, Barbarossus quippe, qui se cum suis post fugam ad eum locum contulerat, & eo modo, quo temporis breuitas exigebat triremium nonnullos alueos refecerat, quos eo loci in lacum quendam mare succedente longius, lateq; postea restagnante ante aduentum Cesaris in Affricam conduxerat Duce quodam, quem vulgo Caccidiabolum vocant, ad Arcerium transmiserat, ipseq; eodem loci exploraturus, quo se Cesar cum exercitu classeq; transferret, prestolabatur. Sed breui tempore, postquam Duce Caccidiabolo triremes ad Arcerium expediuerat, ad eum venerunt, quos in speculis constituerat, retuleruntq; classem Cesarianam in mari visam, quem recta cursum ad Hypponem direxerat. Quod ubi intellexit, veritus ne etiam hostiles copie terra venirent, collectis suis relicto oppido profugit, atq; iter versus Arcerium, vt ex transfugis, captiuisq; postea cognitum est, facere coepit. Sed vt a peritis locorum audio, si nullum etiam impedimentum a Numidis, reliquisq; latronibus, qui afflictas hominum fortunas prede auidi plerumq; prosequuntur, recepit, vix eum decima parte suorum tum propter itineris, estusq; laborem, cum etiam propter inopiam comestus, quem in itinere, hominem alioquin Tyrannum, & totam Affricam exosum minime habere posse existimant, ad Arcerium peruenturum. Classis vero Cesariana posteaquam ad oppidum Hypponis peruenit, statim oppido potita est: & quoniam Andreas Auria cum triremibus Caccidiabolum paulo ante recessisse, atq; versus Arcerium nauigasse perceperat, relicto presidio in oppido, ratus celeritate opus esse statuit ad Arcerium recta nauigare, idq; eo consilio fecit, vt & si quo modo posset Caccidiabolum cum triremibus assequeretur, easq; interciperet, antequam ad Arcerium peruenirent qd multum interesse arbitrabatur. Et vt ad Arcerium

priusq̃ Barbarossus veniret ipse adnavigaret, q̃ rei bene gerē
 de occasione non minimam prestare posse secum considerabat;
 Putantq̃ homines, & felicitatē Cēsaris cogitantes, & diligē-
 tiam celeritatemq̃ Principis Aurig, quam semper in omnibus,
 prestitit rebus Deo Opti. Maxi. tam pie expeditioni fauente
 utrunq̃ ex voto consecuturum: Nam Arcerium ab Hyppone
 distat pene per cccl. millia passus, q̃ spacium citius Principem
 triremibus, & presertim noctu, diuq̃ prospero vento in mari
 navigantem sperant, q̃ Barbarossus tantis caloribus exusto
 milite, & maxima penuria cōmeatus vexato, quem aliquando
 quiescere oportebit, terrestri itinere confecturū. Cēsar igitur in-
 tellectis quę ad Hypponem gesta erant, oppidum Regi Tune-
 tapo concessit, hac conditione, vt septem milia aureorum pro
 ijs qui in presidio arcis Hypponēsis relinquebant, penderet. His
 ordinatis, multisq̃ Hispanorum domum redeundi concessio
 commeatu, ipse Panormum in Siciliam cum Germano, atq̃
 Italico milite, plurimisq̃ ex Hispania transire decreuit, & mox
 Neapolim inuisere, parataq̃ iam sunt omnia. Et cras Cēs. Ma.
 classem in Siciliam transfretatura conscendet. Valde preclara
 mi Loxane, & nulla vnq̃ posteritatis obliuione delendā, Chris-
 tianeq̃ Reip. non solum vtilem, sed etiam vehementer neces-
 saria Cēsar consecutus est victoriā: Quippe quę non solum a
 continuis Turcarū, Pyratarūq̃ incursionibus perpetuā Hispa-
 nijs, Gallijsq̃, atq̃ Italię reliquisq̃ Christiane ditionis provin-
 tijs securitatem pepererit, sed etiam furorem Christi nominis ho-
 stium ita confuderit, vt non solū Barbarossi minas, & in Chris-
 tianū nomē rabiem represserit, sed Turcam etiā perpetuā ma-
 ris possessione cum maximo detrimento rerum Turcicarum de-
 truserit: remq̃ maritimam ita in libertatem asseruerit, vt nullo
 modo Christianis Turca in mari pertimescendus sit: Mare na-
 uigantibus pariter nostris, alijsq̃ nationibus liberum reddiderit,
 iugumq̃, q̃ Barbarossus Turcę suffultus & classe, & presu-
 dīs iam palam Christiano nomini minabatur, retuderit. Ad hec
 xx. millia Christianorū, quos perfidissimus hostis Barbarossus
 in carcere, & vinculis detinebat, liberauerit, inter quos non
 nullos nauticę rei peritissimos, quorū coacta opa multa damna

Arcerium.

Quibus condi-
tionibus Regi
Tunetum con-
cessum.

Cēsar in Sici-
liā transfretatus.

Fructus Cēs-
arię victorię.

*Captini Christi
stiani operā suā
Turce locantes*

Galli captini.

*Tormenta Re-
gis Gallorum
insignibus no-
tata/reperta.*

Christianis intulerat, eratq; illaturus, nisi Cēsār hominis insolentiam compressisset: plerosq; etiam bombardarū faciendarū artifices, qui coacti velut in vinculis & ergastulo existentes cōpellebantur artis suę industriā prestare, & quę Christiano homine indigna sunt facere, seruitute exemerit. Non puto etiam reticendum, q̄ inter captiuos septuaginta Galli reperti sunt, quos Cēsār Oratori Regis Gallię domū transmittendos tradere iussit testes victorię, liberalitatisq; Cēsareę semper futuros. Quapropter quisquis Christi nomē ex animo, & vere colit infinitas Deo Opt. Max. gratias agere debet, quod tam ingenti metu atq; cōsternatione Christianam Remp. liberauerit, plurimumq; sese fateri Cēsari debere, qui in hac expeditione ita se gesserit, vt & optimi Imperatoris, & forissimi militis operam prestiterit, nihilq;, quod ad tam magnam, tamq; sanctam expeditionē necessariū fuerit, vsq; pretermiserit, palamq; omnibus fecerit, se quibuscumq; magnis Imperatoribus equandum esse, quibus omnium nostrorū in se animos non sine magna admiratione conuerterit. Sed ne te diucius in enumerandis Cēsaris virtutibus in hac expeditione palam exhibitis detineam, de quibus satius esset tacere, q̄ tam pauca dicere, ad rem venio. In recensendis bombardis quas Cēsā. Mai. & in arce Tunetana, & in Golletę castello receperat, quędam tormenta, globiq; insignibus Regis Gallię notata reperta sunt. Quapropter quidam existimauere, Regem Gallorū & armis & munitionibus, & pecunijs etiam Barbarossū contra Christianos iuuisse: alij tantum scelus in Regem Christianissimum nullo modo posse cadere reputantes, vt rem indignam & suo nomine, & Christianitate perpetraret, arbitrabantur Barbarossū tormenta illa, & machinas dedita opera ea nota signasse, quo Tunetanis, reliquisq;, qui cum eo sentiebant, latronibus, palam faceret, se in Christianitate etiam magni nominis Principes amicos habere, qui se & opibus, & omnibus rebus, quę ad vsum belli pertinerent, re ita exigente, iuuarent, alacrioresq; omnes suos ad defendendum regnū Tuneti redderet: putantes non solum hęc, sed etiam multo maiora subsidia à tam magno Rege quotienscunq; ita contigerit habituros. Pleriq; dicebant, captis aliquando Gallicis nauibus Barbarossū

barossium illa recepisse, atq; ad arcem Tuneti & Golletam ad-
 uexisse. Itaq; variè in hac materia sententiè dicuntur. Qua de
 re satis superq; dictum sit. Cetera quæ sequuntur ex Italia eadē
 fide ad te perscribam. Intelligo quippe CÆ. Ma. non contē-
 tam hac victoriā Deo fauente Opt. Max. multo maiora moli-
 ri. Quæ & Christi nomen ad externas nationes emanare
 facient, & perq; necessaria Christianæ Reipub. futu-
 ra sunt. Quæ omnia prospere, & foeliciter tam-
 pijs votis Deo iurāte cessura vnusquisq;
 arbitrat. Vale & me vt semper
 fecisti ama. Ex CÆsarīs
 foelicibus castris apud
 Golletā xvij, Ca-
 leñ. Septē.
 M. D. XXXV.



CLEMENS CARNIOLVS SA/
GRADIENSIS.

Aspice lector, ales tibi quas Cyllenius adfert,
Laudes inuicti Cæsaris egregias.
Hinc ubi Carpathium, Libycumq; relabitur æquor,
Et Carchedonios abluit unda sinus.
Magnos hic illum cernes egisse triumphos,
Distinctos inter numina Martis Aphros.
Lumine nunc phœbi residens candentis, Eois
Victor iura suis dicit & Hesperijs.


INCERTI AVTHORIS.


Fata tibi Imperium Cæsar terræq; marisq;
Occiduas parant atq; orientis opes.
Hinc tibi tam magnos præstat fortuna triumphos,
Totq; tuo subdit colla superba iugo.
Hinc tu regna alijs donas, concedis habenas,
Arbitrio imperium dasq; adimisq; tuo.
Te capti decorant Reges, atq; aurea tellus,
Temporibus nostris cognitus antipodes.
Victrices Aquilas orbis, uictricia signa,
Suspicit Imperij, & sceptrum tremenda tui.
Teq; uelut cœlo delapsum numen adorat,
Et canit inuicta fortia gesta manu.
Ergo age, nunc belli quod restat confice Cæsar,
Turca cadat tandem perfidus ense tuo.

CLEMEAS CAR NICHOLVS SA









Biblioteka Jagiellońska



stdr0042658

